Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38301
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

Uerum etiam incommutabilis sic apparet quibus uoluerit. In qua uoluerit
speciae. ut apud eum integra maneat eius inuisibilis. incommutabilisque
natura. Desiderium autem ueraciter piorum quo uidere deum cupiunt.
et inhiant ardescunt. Non opinor in eam speciem contuendam flagrat.
qua ut uult apparet quod ipse non est. sed in eam substantiam qua ipse est
quod est. Huius enim desiderii sui flamam sanctus moyses fidelis famulus
eius ostendit. ubi ait deo. cum quo ut amicus facie ad faciem loquebatur.
Si inueni gratiam ante te. ostende mihi temetipsum. Quid ergo. ille
non erat ipse. Si non esset ipse. non ei diceret. ostende mihi temetipsum.
sed ostende mihi deum. et tamen si eius naturam substantiamque conspiceret. multo minus dice
ret. ostende mihi temetipsum. Ipse ergo erat in ea specie qua appa
rere uoluerat. Non autem ipse apparebat in natura propria quam moyses
uidere cupiebat. Ea quippe promittitur sanctis in alia uita. unde
quod responsum est moysi uerum est. Quia nemo potest eum faciem
dei uidere et uiuere. id est nemo potest eum in hac uita uiuens uidere
sicuti est. Nam multi uiderunt. sed quod uoluntas elegit. non quod natura
formauit. Et illud quod iohannes ait. si recte intellegatur. Dilectissi
mi filii dei sumus. et nondum apparuit quod erimus. Scimus quia cum
apparuerit. similes ei erimus. quoniam uidebimus eum sicuti est. Non sicut
eum homines uiderunt. quando uoluit in specie qua uoluit. non in
natura qua in se et ipso etiam cum uideretur latuit. Sed sicuti est.
quod ab eo petebatur cum ei diceretur. Ostende mihi temetipsum.
ab eo qui cum illo facie ad faciem loquebatur. Non quia dei plenitudinem.
quisquam non solum oculis corporis. sed uel ipsa mente aliquando com
praehendit. Aliud est enim uidere. aliud est totum uidendo com
praehendere. Quandoquidem id uidetur quod praesens utcumque
sentitur. totum autem conpraehenditur uidendo. quod ita uidetur.
ut nihil eius lateat uidentem. Aut cuius fines circumspici possunt.
sicut te nihil latet praesentis uoluntatis tuae. Circumspicere autem
potest fines anuli tui. exempli gratia duo posui. Quorum alterum